



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1925**

De Sancto Elaeth Confessore In Mona Insula

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A canencium, quarto idus novembris migravit ad celum, regnante domino<sup>17</sup> nostro Iesu Christo<sup>18</sup>, cui est magnificentia ab omni creatura cum eodem<sup>19</sup> Deo Patre et Spiritu sancto, qui sine fine

vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. VITA III

**Explicit Vita sancti Edi episcopi et confessoris<sup>1</sup>.** Coronis.

<sup>17</sup> Deo add. T. — <sup>18</sup> (regnante - Christo) ubi regnat dominus noster Iesus Christus Colg. —

<sup>19</sup> eo ante corr. M; eodem om. Colg. **Coronis.** — <sup>1</sup> (explicit - confessoris) om. Colg.

## DE SANCTO ELAETH

### CONFESSORE IN MONA INSULA

SAEC. VI

S. Elaeth  
e qua  
stirpe  
ortus,

1. S. Elaeth, rex et poeta, e qua stirpe duxerit originem ostendit genealogia in codice Peniarth 45, saec. XIII exeuntis: Elaeth urenhin, mab Meuruc, mab Idno; ac Omen Grog, uerch Wallawe, mab Lleenawc, y uam (1). Latine et nominum forma ad hodiernam scriptionem redacta: Elaeth rex, filius Meurig (haec cymrica forma est nominis Mauricii), filii Idno; et Omen Greg (rauca an graeca, incertum), filia Gwallog, filii Lleenog, (erat) mater eius. Consentiant ceteri codices genealogici qui Elaeth meminerunt, nisi quod matris nomen alii scribunt Omen (2), alii Onnen (3), seu, quod idem valet, Onen (4), alii Elen (5), quae cymrica forma est nominis Helenae. Ad Coel Godebog, auctorem unius e gentibus sanctis Cambriae, paternam stirpem prosecutus est codex unus (6), cuius ope stemma est structum (7) in hunc modum: Coel Godebog, Ceneu, Gorwst Ledlum, Meirchion Gul, Idno, Meurig, Elaeth. Haec si vera sunt, conici potest vixisse S. Elaeth saeculo VI; fertur enim Coel Godebog ante medium saeculum IV vixisse (8). Maternus autem sancti avus Gwallog ab Lleenog, vir fortissimus et in antiquis Cambriae fastis inclutus (9),

qua aetate  
vixerit.

C

Arturi regis amicus fuisse legitur (10). Sed, in densissimis tenebris cambricae historiae, omnino dubia est haec etiam temporis nota. E

2. Unde expiscati essent recentiores rerum ab Elaeth gestarum narrationem, non comperimus (11). Haec fere quae tradunt: regem illum fuisse in partibus septentrionalibus Angliae quae nunc est; deinde avito regno ab hostibus pulsum eodem, quo Pappo percussus est, casu adverso, idem vitae genus elegisse (12) atque in parvam insulam prope Monam confugisse (13), ubi pie religioseque quod supererat aetatis egerit in monasterio condito a S. Seiriol. Utrumque se illa habent, certius videtur a S. Elaeth rege conditam esse ecclesiam ubi nunc est parochiale templum vici Amlwch, in litore septentrionali Monae insulae; locus enim et sancti nomine olim dictus est Llan Elaeth Frenin (14), id est Saeptum Elaeth regis. Ibi fons est illi sacer, cymrice Ffjynnon Elaeth appellatus, aliquando variorum morborum curatione insignis et oraculis, quae ex anguilla motibus edebantur. Piscis enim eius generis in fonte retinebatur; vatis partes agebat quidam ex accollis. Sed interdum, anguilla latente, plures dies

Res ab eo  
gestae.

Cultus  
in vico  
Amlwch.

F

(1) S. BARING-GOULD and J. FISHER, *Lives of the British Saints*, t. IV, p. 372, col. 2. Codicem descriperat J. G. EVANS, *Historical Manuscripts Commission. Report on Manuscripts in the Welsh Language*, t. I, p. 379-80. — (2) Omen Grog, in Libro Iohannis Brook de Mawddwy ap. Ludovicum Morris in *Myvyrian Archaiology*, ed. 2, p. 424, col. 2. Moment editores, eruditi viri, legendum esse Onien Greg, ibid., annot. 1. Adverte onen cymrice significare « fraxinam arborem ». — (3) Hafod MS. 16, circiter annum 1400 exaratus, nunc in publica bibliotheca Cardiffensi, in *Myvyrian Archaiology*, ed. 2, p. 416, col. 1-2. Eius codicis apographum est Harleianus 4181, in Museo Britannico, saec. XVIII ineuntis, ap. W. J. REES, *Lives of the Cambro British Saints*, p. 268, num. 48; cf. BARING-GOULD and FISHER, op. c., t. I, p. 86, num. 4. Liber longus Thomae Truman in *Iolo Manuscripts*, p. 127. Adde codicem Roberti Davies in collectaneis Ludovici Morris, *Myvyrian Archaiology*, ed. 2, p. 424, col. 2, et codicem seu codices alios nescio quos ibidem signatos litteris L. M. — (4) Codex Thomae Hopcin, circiter annum 1670, in *Iolo Manuscripts*, p. 101, num. 22. — (5) Ita codex alter a Thoma Williams inter annos 1578 et 1609 descripto, in Ludovici Morris collectaneis, *Myvyrian Archaiology*, ibid.; item codex dictus Llyvyr Bodeulwyn, ibid. Sed uterque adeo

corrupte hanc stirpem refert ut vix quicquam sit faciendus. Historiarum autem collectionem quae Hanesyn Hên dicitur non vidimus. Hanc a ceteris non dissentire scribunt BARING-GOULD et FISHER, t. II, p. 425, annot. 2. — (6) Codex supra allatus Thomae Williams, ibid. — (7) BARING-GOULD and FISHER, t. I, p. 91-92. — (8) RICE REES, *An Essay on the Welsh Saints*, pp. 89-91. — (9) V. g. *Myvyrian Archaiology*, ed. 2, p. 407, col. 2, num. 71; J. LOTH, *Les Mabinogion*, ed. 2, t. II, p. 258, num. 37-38. Eius stirps legitur ibid., p. 335, num. IX. De eo lege LOTH, t. c., p. 142, annot. 1. — (10) In narratione inscripta Chwedyl Gereint vab Erbin, ap. J. G. EVANS, *The White Book Mabinogion* (Pwllheli, 1907), col. 406; cf. LOTH, t. c., p. 142. — (11) RICE REES, op. c., p. 271; J. G[AMMACK], ap. W. SMITH and H. WACE, *Dictionary of Christian Biography*, t. II, p. 66, col. 2; BARING-GOULD and FISHER, t. II, p. 425. — (12) Supra, p. 189, num. 4. — (13) Nunc Ynys Seiriol dicta, in parochia Penmon, haud procul a Beaumaris civitate. — (14) Llan Eleth Frenin, codex Peniarth 147, exaratus circiter annum 1566, ap. J. G. EVANS, *Report*, t. c., p. 912, col. 3; Llan Eleth neu Amlwch (id est: Llan Elaeth sive Amlwch), codex Iohannis Brooke de Mawddwy, exaratus an. 1590-1591, ibid., annot. 18 et o.

exspectandum

A *expectandum erat* (1). *Similis prorsus praesagiendi ratio adhibebatur et in sacro fonte S. Kebii in vico Llangybi, comitatus Carnarvon* (2).

*Festus dies.* 3. *Festum S. Elaeth die 10 novembris plerique indicunt* (3); *unus autem codex die II, mero calami errore, ut videtur: idem enim et sanctum Cynfarwy uno die postposuit* (4). *Pauca tandem dicenda sunt de carminibus duobus quae sanc-*

*to Elaeth ascribuntur* (5). *Utrumque summa pietate de rebus religiosis scriptum est, sed inter pseud-epigrapha sine ullo dubio est amandandum. Una enim et consentiens vox est eruditorum virorum, nulla carmina cymrica qualia legimus saeculo IX esse antiquiora, plurima autem eorum quae in Libro Nigro leguntur, XI et XII saeculo esse condita* (6).

Carmina  
pseud-epi-  
grapha.

(1) OWEN JONES, *Cymru yn hanesyddol*, t. I, p. 92, i. v. Amlwch. — (2) BARING-GOULD and FISHER, t. II, p. 212-13. — (3) Calendarium anni 1481 adiectum opusculo Iohannis EDWARDS iunioris grammatici, ap. BARING-GOULD and FISHER, t. c., p. 425-26; calendarium in codice Musei Britannici add. 14882, exarato anno 1591, *ibid.*; calendarium in codice Peniarth 187, anno 1659 exarato, ap. J. G. EVANS, *Report*, t. c., pp. 1014, 1043-45; Browne WILLIS, *A Survey of... Bangor*, p. 282. — (4) Codex Peniarth 219, circiter annum 1615 exaratus, editus a J. G. EVANS, t. c., p. 1043-1045. — (5) Utrumque carmen legitur in antiquo codice dicto Libro Nigro de Carmarthen (saec. XII) cuius imaginem

expressit J. G. EVANS, *Facsimile of the Black Book of Carmarthen* (Oxford, 1888). Utrumque edidit W. F. SKENE, *The Four Ancient Books of Wales* (Edinburgh, 1868), t. I, p. 501-503, et t. II, p. 35-37; J. G. EVANS, *The Black Book of Carmarthen* (Pwllheli, 1906), p. 70-71. Primum tantum carmen e codice nescio quo iam editum erat in *Myyrrian Archaeology*, ed. 1, t. I (London, 1801), p. 161; ed. 2, p. 123. De arte metrica horum carminum, vid. J. RHYSS, *The Origin of the Welsh Englyn and kindred Metres* (= *Y Cymmrodor*, t. XVIII, 1905), pp. 125, 151. — (6) G. DOTTIN, *Les littératures celtiques* (Paris, 1924), p. 31.

B

E

## DE SANCTO IUSTO

### ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI

ANNO 627

H. D.

#### COMMENTARIUS PRAEVIUS

S. Iustus  
ad Anglos  
mittitur.

1. *Iis exceptis quae ad publicam eius venerationem referuntur, quaecumque de S. Iusto literis tradita sunt Bedae Historia ecclesiastica Anglorum suppeditat* (1). *Prima sancti viri mentio occurrit ubi narrat S. Gregorium Laurentio presbytero et Petro monacho, quos Augustinus Romam miserat, novos adiutores comites adiunxisse. Praeterea idem papa Gregorius Augustino episcopo, quia suggererat ei multam quidam esse messem, sed operarios paucos, misit cum praefatis legatariis suis plures cooperatores ac verbi ministros; in quibus primi et praecipui erant Mellitus, Iustus, Paulinus, Rufinianus* (2).

*Quod anno 601 actum esse constat* (3). *Tribus autem elapsis annis, Iustus ab Augustino episcopus Rofensis (Rochester) constituitur. Anno dominicae incarnationis DCIII<sup>mo</sup> Augustinus Britanniarum archiepiscopus ordinavit duos episcopos, Mellitum videlicet et Iustum; Mellitum quidem ad praedicandum provinciae Orientalium Saxonum... Iustum vero in ipsa Cantia Augustinus episcopum ordinavit in civitate Dorabrevi* (4), *quam gens Anglorum a primario quondam illius, qui dicebatur Hrof, Hrofaescaestrae cognominat* (5). *Distat autem a Doruveni* (6) *milibus passuum ferme XXIII ad occidentem, in qua rex Aedilberet ecclesiam beati An-*

*dreae* (7) *apostoli fecit, qui etiam episcopis utriusque huius ecclesiae dona multa, sicut et Doruvernensis obtulit; sed et territoria ac possessiones in usum eorum, qui erant cum episcopis, adiecit* (8). *Mortuo Augustino successit Laurentius* (605), *qui cum coepiscopis episcopos et abates Hiberniae monet de observanda unitate sanctae ecclesiae, maxime in paschae observatione. Dominis carissimis fratribus episcopis vel abbatibus per universam Scottiam Laurentius, Mellitus et Iustus episcopi, servi servorum Dei...* Misit idem Laurentius cum coepiscopis suis etiam Brettonum sacerdotibus litteras suo gradui condignas, quibus eos in unitate catholica confirmare satagit (9).

2. *Defunctis Aedilbercto rege Cantiorum et Sabercto rege Orientalium Saxonum, ad idolorum cultum eorum successores redierunt, moxque Mellitus cum suis iussus est abire* (10). *Qui expulsus inde venit Cantiam, tractaturus cum Laurentio et Iusto coepiscopis, quid in his esset agendum. Decretumque est communi consilio, quia satius esset, ut omnes patriam redeuntes, libera ibi mente Domino deservirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. Discessere itaque primo Mellitus et Iustus, atque ad partes Galliae secessere, ibi rerum finem expectare*

Constituitur  
episcopus  
Rofensis.

In Galliam  
secedit.

(1) Recentiorum qui de S. Iusto scripserunt praecipui sunt WHARTON, *Anglia sacra*, t. I, p. 92; Hook, *Lives of the Archbishops of Canterbury*, t. I (1861), p. 100-110, et, quo nemo melius, W. STUBBS in *Dictionary of Christian Biography*, t. III, p. 592-93. — (2) *Hist. eccl.*, I, 29. Bedae excerpta ex editione v. cl. C. PLUMMER dabimus. — (3) *Hist. eccl.*, V, 24. — (4) Lege

quae ad hunc locum notat PLUMMER, t. II, p. 79. — (5) In synodo Hertfordiensi anni 673 nuncupatur *Castellum Cantuariorum quod dicitur Hrofaescaestr*. BEDA, *Hist. eccl.*, IV, 5. — (6) Cantuaria, Canterbury. — (7) S. Gregorii p. monasterium S. Andreae sacrum erat. — (8) *Hist. eccl.*, II, 3. — (9) *Hist. eccl.*, II, 4. — (10) Ante febr. an. 618. PLUMMER, t. II, p. 88.

disponentes